

De puerorum indole
quaedam notantur : Facultati
litterarum parisiensi... thesim
proponebat / R. Thamin,...

Thamin, Raymond (1857-1933). Auteur du texte. De puerorum indole quaedam notantur : Facultati litterarum parisiensi... thesim proponebat / R. Thamin,.... 1895.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :

- La réutilisation non commerciale de ces contenus ou dans le cadre d'une publication académique ou scientifique est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source des contenus telle que précisée ci-après : « Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France » ou « Source gallica.bnf.fr / BnF ».

- La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service ou toute autre réutilisation des contenus générant directement des revenus : publication vendue (à l'exception des ouvrages académiques ou scientifiques), une exposition, une production audiovisuelle, un service ou un produit payant, un support à vocation promotionnelle etc.

[CLIQUER ICI POUR ACCÉDER AUX TARIFS ET À LA LICENCE](#)

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

- des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.

- des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter utilisation.commerciale@bnf.fr.

80 P
12/61.

161

DE PUERORUM INDOLE

QUÆDAM NOTANTUR

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Ad gradus doctoris rite capessendos

THESIM PROPONEBAT

R. THAMIN

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

COLLOQUIORUM OLIM MAGISTER IN FACULTATE LITTERARUM LEGDUNENSI

IN LYCEO « CONDORCET » PHILOSOPHIÆ PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

G. MASSON EDIDIT

120, VIA DICTA « BOULEVARD SAINT-GERMAIN »

MDCCCXCV

DE PUERORUM INDOLE


QUEDAM NOTANTUR

8°R

12/61

DE PUERORUM INDOLE

QUÆDAM NOTANTUR



FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Ad gradus doctoris rite capessendos


THESIM PROPONEBAT

R. THAMIN

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

COLLOQUIORUM OLIM MAGISTER IN FACULTATE LITTERARUM LUGDUNENSI

IN LYCEO « CONDORCET » PHILOSOPHIÆ PROFESSOR



LUTETIÆ PARISIORUM

G. MASSON EDIDIT

120, VIA DICTA « BOULEVARD SAINT-GERMAIN »

—
MDCCXCV

Urbis Lugduni

Minorum scholarum magistris

D. D. D.

DE PUERORUM INDOLE

QUÆDAM NOTANTUR

I

DE METHODO QUADAM IN ETIOLOGIA

Auctore St. Mill, primum manifestum fuit scientiam quamdam desiderari quæ, cum psychologiæ, tum illi, quæ ad mores informandos mores pertinet, arti annumeraretur et quasi medium locum teneret, ethologiam dico, vel indolis humanæ scientiam. Quam ille non solum adhuc inventam monstravit; sed et quomodo postea tractanda esset docuit, et vix inventæ præcepta adumbravit.

Ille vero clari Mill clarus locus eo diligentius est perspicendus, quod omnes, qui postea de humana indole scripserunt, illum quodam modo revocaverunt, et illius rationem præceptaque

secuti sunt. Scientia autem humanæ indolis, ut ait St. Mill, non usu et observatione constituenda, sed demonstratione; leges enim rerum hominumque usu et observatione partæ semper ad universa comprehendenda minime valerent, immo ne necessariae quidem viderentur, quod proprium est in scientia legis cujuslibet. Cum igitur lex quævis usu parta, nisi majori legi subjecta sit, ad tempus solum vigeat et emendatione forsitan egeat, nunc a psychologiæ legibus, utpote majoribus, potius sumenda sunt novæ scientiæ principia, quandoquidem necessario ad illas confugiendum, si indolis humanæ quamdam speciem definire ac constituere volumus. « Quid plura? leges, quibus indoles ejusque propria informatur, velut a fonte quadam, a majoribus illis, quibus mens ipsa regitur, legibus defluunt. Nec ullo modo constitui possunt, nisi ab illis majoribus detractæ, quarum auxilio videndum est quomodo temporum datæ quædam vel locorum condiciones ad informandam indolem immutandamve valeant¹. » Si quid falsi permanserit, et permanebit quidem semper in conjecturis ea ratione conquisitis, hoc

1. ST. MILL, *System of Logic*, VI, v, 4.

ea causa fiet, quod plerumque illas condiciones vitiose noverimus, quarum vis et effectus cum legibus mentis consocietur. Quae ratione adhibita, ethologiae principia appellare licebit « axiomata media » psychologiae, quodammodo cum ab his usu et mera observatione partis legibus, tum ab illis majoribus psychologiae legibus discrepantia, ita ut ethologia ipsa quasi e *corollariis* constare videatur. Adde quod, ut ait St. Mill, haud aliter nonnullae scientiae constitutae sunt, scilicet quas graece μηχανικήν, ὀπτικήν, ἀκουστικήν vocamus, quae usum confirmandis tantum praecipis adhibeant. Sic illa, quae de humana tractat indole, scientia, eo ipso quo magis usu implicata est, e rerum turba, quibus obruitur, per inductionem educi non potest, sed rerum opera ut probetur fieri potest, immo necesse est.

Equidem fateor a St. Mill velut a magistro descriptam fuisse absolute et, ut ita dicam, *a priori* ethologiam. Porro spero futurum esse ut eiusmodi scientia constitui possit. Sed, ut ad praesentia spectem, ab illustri illo philosopho dissentio. Minime probabile est e psychologia, quasi e mathematica quadam moribus adhibita, principia de quibus non contendatur trahi posse. Quot igitur de animo doctrinae, tot de indole

erunt; ex quo efficietur leges, quibus illæ doctrinæ consent, conjecturarum, quæ plus minusve placeant et plus minusve rerum amplectentur, non veritatis speciem præbere. Quod plane inviti demonstraverunt qui nuper conati sunt ethologiam instituere. Nec mehercule in vanum conati sunt; immo illorum opera recentissima psychologia mire et magnifice exornata fuit et illustrata. Cum autem ex illorum scriptis appareat demonstratione consistere ethologiam non posse, has minores leges usu et observatione conditas, quas procul a scientia St. Mill areet, amice accipiemus, ne temere despiciamus. Quas quidem, aliis tantum deficientibus, quæremus et vindicabimus, scilicet ut sperato auro aliquantulos in manu nummos, ita majoribus legibus, quæ solidis fundamentis careant, minores anteponentes. — Attamen, antequam methodum nostram, quidquid valet, explicemus, paucis verbis colligamus quæ præstantissima ab illa St. Mill disciplina quoquo modo pendeant.

Pendet quidem illud professoris Bain opus, cui nomen *Study of Character* inscribitur (MDCCCLXI). Primum Bain tum doctrinam illam infirmat quæ indolem cerebri constitutioni et exteriori figuræ subjectam fingit, tum

eamdem fateatur bene de philosophia meruisse, homines natura differre egregie docendo. Cujus tamen doctrinae in locum alteram quamdam supponit, quam e psychologia deducit. Deducit enim e tribus illis vulgo descriptis animi modis, et humanae indolis tria genera discernit quae ad voluntatem, affectus et mentem spectent, vel, ut subtilius dicam, tres partes quae ad animum informandum societatem quamdam multis modis ineant. Suscepta igitur illa tripartita ethologia, (quae quidem divisio an non mire inventa sit minime refert), plura notavit quae e melioribus fontibus hausit, aut propria observatione callide conquisivit. Ut exemplis utar, quid sensus ad affectum movendum pro se quisque valeant, quid ad indolem componendam egregium ingenium, — quod quidem ab indole segregandum, — notavit. In illius vero mentem non venit in tribus illis, de quibus supra dixi, classibus genera et species discernere, nec quomodo effingatur genus quodlibet et species docere, nec qua lege diversi animi impetus aut conjurent aut discrepent. Qui tantum materiam et quasi rerum silvam collegit, nihil aedificavit; ergo *ἀνάλυσις*, non *σύνθεσις* hujus methodi instrumentum jure judicabimus.

Σύνθεσις autem quæ a professore Ribot, ad viam ethologiæ monstrandam, nuperrime scripta fuerunt, ex quo tempore studium illud, quod de indole tractat, magis necessarium omnibus apparuit. Nempe duo, ut ait Ribot, indoli cuique necessaria, ut simplex et stabilis sit. Inde, temerius forsitan, e studio illos repellit Ribot, quos *informes* et *instabiles* appellat, permultos quidem. Qui cum permulti essent, nonne hic locus erat genera quaedam distinguere, nec omnes velut confusam turbam ab ethologia detrudere? Nonne instabilium diversi modi sunt, et quasi inconstantiae gradus? Sed hæc omitamus et ad veram indolis speciem transeamus. Ut, auctore Ribot, omnis animi vita in duobus modis principio includitur, et iisdem exprimitur, scilicet in sentiendo et in agendo, ita hominum, quod ad indolem spectat, duo genera : qui sentiunt, qui autem agunt; — quibus quidem illi quasi novum genus addendi, qui valide nec sentiunt nec agunt, sed in *ἀπαθεία* quadam vitam degunt. Et mente, tanquam e minus recondita fonte, tum demum nova indolis lineamenta oriuntur, quibus genera in species dividantur. Illo-

rum enim qui in affectibus plerumque versantur, mente si quis parum valuerit, humilis erit; si multum eminuerit, ad omnia clare intuenda perscrutandaque paratus et quodam modo succinctus erit. Addita vero quadam agendi potestate, idem rebus apte commovebitur ita ut artibus et forma alliciatur. Horum autem quos agere juvat, pro mentis vigore, alii agunt ut agant, vel potius agitantur, alii præclara faciunt, imperia sive condant, sive evertant. Tertium autem genus illorum, quos in *ἀπαιθεία* torpere supra diximus, mire mentis vi et auxilio informatur, eo ipso quod illis neque affectus, neque agendi cupidō ullum affert impedimentum. Si stultus in *ἀπαιθεία*, fit iners; sin autem, tacentibus affectibus et agendi cupidine, mens sola prævalet, ratione et consilio omnia regit et temperat, sicut et Wilhelmus Taciturnus cognomine, et noster Undecimus Ludovicus. — Post genus et speciem, varietas, quam duo in eodem *τύποι* adulterio quodam constituunt. Qua lege unus et sentit et agit, alter et torpet et agit, tertius et torpet et sentit. Præterea cum hæc tria inter se pariter conjunguntur, fit media quaedam varietas, quæ temperatorum dicitur. — Illis denique, quos informes Ribot omiserat,

ex habitu quodam aut cupidine indolis imago et mendacium nascitur. Ut exemplo utar hominis, qui musicæ tantum, aut picturæ, aut aleæ indulgeat, totus ille adeo suæ curæ incumbit, ut indolis locum ea teneat.

Ut æquum est, quod præsertim in tam humili loco humanam mentem Ribot collocaverit magnum certamen exortum est¹. Cui jure hæc objecta fuerunt : quamvis in tempore post affectum et agendi vim mens appareat, nihilominus præstans quædam et egregia mens in homine quasi præformari potest, ita ut ejus proprium et quasi causa finalis optime dicatur. Illi qui hominis naturam ex affectibus deducunt, quia ex illis velut e fundamento quodam, mens oritur, animalium eodem pacto natura ex inferioribus modis, qui et animalibus et plantis communes sunt, trahenda, utpote qui tempore priores sint vitæque animantium materiam quasi suppositam afferant. Quod si quis dicat in animi intima et alta parte nullum esse menti locum, cui scilicet nihil objectum sit nisi alienum et externum, hoc tantum respondeamus : mentis ipsius modos ab illis quæ menti objiciuntur

1. Vide FOUILLÉE, *Revue des Deux Mondes* (15 février 1894) et RAUH, *Revue de Métaphysique*, primo anno, p. 492 et seq.

segregandos, nec mentem ab animo alienandam. Alienanda potius et, ut ita dicam, minus nostra sunt illa quæ a majoribus vel a corporis natura accepimus; vere propria contra et nostra sunt hæc quæ conscii ratione et intelligentia naturæ addidimus. Nec solum segregatæ ab omni concretione mentes sic oriuntur, et quæ Schopenhauer, citatus apud Ribot, « monstra per excessum » vocat; sed in alias animi partes vis mentis redundat, quas specie quadam humanitatis exornat et digniores animi nomine facit. Sed, quod Ribot existimat, minus refert quæ sint nobis sentiendi vel agendi causæ, quippe quæ menti solum objectæ sint. Unde fit ut ambo in idem genus (eorum qui sentiunt et agunt) compellantur Sanctus Vincentius a Paulo et Napoleo, — quæ difficillime duo ejusdem indolis exempla esse contendamus.

Ex eadem doctrina fit ut omnes cujusque in semetipsum converti affectus videantur, ii contra animi motus, qui ad alios homines spectent, ab interiore animo longius absint et quasi a nobis alieni dicantur. Porro, ejusdem doctrinæ crimine, ab ista agendi cupidine vera voluntas illorum male distinguitur qui consilio et delibe-

ratione incerta quæque strenue enodant, et certum quoddam consectantur, liberorum animorum, etiam si servum arbitrium sit, imaginem sibi et aliis præbentes. Quibus de causis jure dictum fuit corporis potius quam animi habitum a professore Ribot descriptum fuisse. Inde fit ut hujusmodi indoles, — quæ indolis nomen immerito usurpat, — mutari non possit. Immerito contra appellari hanc indolem Ribot dicit quæ mutari potest. Horum est, qui mentem in moribus et vita majores partes tenere profitentur, mutabilem illius opera indolem ducere. — Illa a professore Ribot indolis inventa descriptio, quod jam suspicari licebat, pendet ab illa ejusdem scriptoris peculiari et minime probabili psychologię doctrina. Quæ, ut verba St. Mill referam, vere e *corollariis* constare videtur, quorum autem *theoremata* nullam auctoritatem habent.

Aliam de animi natura doctrinam alia de indole sequitur. Itaque, cum a Paulhan nova quædam psychologia inventa sit, ex qua finis interior animi in locum illius legis causalis succedat, quæ ante omnibus mentis operibus præfuerit, inde in mentem eidem venit non solum e quibus affectibus animus constet, et ad

quæ vertatur, sed quomodo eorum societas quædam intima et organica fiat, considerare. Hoc animo brevius exponimus doctrinam illam a Paulhan inventam, ut quid ille sibi proposuerit in clara luce appareat. Cum omnes animi partes, id est varios impetus, describendo, multa callide et acute notavisset, nec tamen quidquam novi monstravisset, præclare contra genus quodvis animi definivit, non partes, sed harum partium societatem et nexum potius perscrutando et penitus inspiciendo. Quem definiendi modum jam omittere illi non licebit, quicumque animi habitus in genera dividere voluerit. Diversæ enim indolis partes si separatim ac pro se quæque propriam vitam degant, inde sint homines inconsulti et distracti, qui temere undique disturbentur et pulveris instar agitentur; sin lege quadam conjuraverint inter se, fiat quodam consensu simplicitas animi et ponderatio. Porro inter illa duo genera, multum inter se abhorrentia, genus quoddam retinendum est, partim eorum, qui plerumque similia contiguave consociant, (quæ quidem consuetudo mentis potius quam indolis), partim eorum qui plerumque a contrariis ad contraria transeunt. Præcipue de his contrariorum amatoribus quædam



Paulhan pulcherrime notavit; quibus inquietos et importunos, callida hercule junctura, annumeravit, quia velut impetu quodam impelluntur, ut contraria illis, quæ vel ipsi nuperime probaverint, vel ab aliis exposita audiverint strenue amplectentur, adeo ut non aliis tantum sed sibi ipsis moleste adversentur. Nonnulli enim ob eam causam opinionem quamvis tuentur quod alios audiunt contrariam tuentes. Immo omnibus nulla melior via erit ad probabiles sententias inveniendas, quam si cum adversario se decertare mente finxerunt. Ob eandem vero insitam animo consuetudinem, nostræ sententiæ vel affectus semper in motu versantur, et mirum in modum disturbantur, adeo ut intus excruciemur, et interdum hunc animi cruciatum non sine quadam delectatione hauriamus.

Quæ plerumque quamvis eleganter et vere inventa sint, in hoc tamen scriptoris nostri loco descriptus exitus causæ suæ non convenire, sed quasi causa major evadere videtur. Nec fieri potest ut tantum illius legis opera, quæ ordinem et compositionem in mente regat, turbetur animi quies et tantæ exoriantur procellæ. Quam legem forsitan ex animo perturbato nasci potius

quam illius perturbationis initium esse dicemus. Nostrorum animorum quasi profundum penetrare et regere exteriores pæne leges ægre ferimus. Motus quilibet animi harum legum auxilio augetur, non nascitur. Is autem, qui secum consentit et vere unus est, non inclinatione quadam quæ imperium appetiverit et cetera sibi subjecerit, tantummodo constat, verum imprimis consilio et voluntate. Hinc sui compos ille jure vocabitur, qui non solum se inhibet, vel introspicit¹, sed totius mentis verè gubernator est et quasi opifex. Consensus partium non facit animum, sed facit animus consensum. Non de libero arbitrio hic disputandum; sed, procul dubio, quædam libertatis imago existit, qua mentes quasi consciæ libertatis fiant, minime negligenda. Cum, genera indolis dividendo, plura veræ hominum naturæ concedat Paulhan quam Ribot, tamen quædam omittit, altissima quidem et humanissima. Optimis inter homines nullus in hac divisione locus, nisi aliquid de illorum natura detrahas.

Nunc quoque loquendum de quodam callido libro quem scripsit vir pueris observandis feli-

1. p. 36.

citer deditus ¹. Generalia quædam autem in hoc libro B. Perez tradere conatur, et quamdam de cujuslibet ætatis homine doctrinam, modestissime quidem, suscipere. Ejus nempe sententia, sex præcipuis corporis modis, quod ad motum pertinet, affectus, cogitatio, voluntas non solum exprimuntur, sed immutantur. Omnium, qui nunc de animi natura disputant, consensu, motus, qui affectum quemdam sequitur, ejusdem affectus pars vere dici potest. Immo, secundum nostrum Perez, per motum affectus definitur et motu certe significatur. Inde fiunt diversa indolis genera: *vividorum* (quibus motus citus); *lentorum* (quibus tardus); *ardentium* (quibus validus); *vividorum-ardentium* (quibus simul citus et validus); *lentorum-ardentium* (quibus validus una et lentus); *ponderatorum* denique (quibus hæc omnia moderate et numerose insint).

In hac descriptione multa Perez, ut illi mos est, juste observavit et distincte pinxit. Hæc vero descriptio ante experimenta et, ut dicunt, *a priori* parata fuit. Tota pendet a quodam callido instituto, quod aliqua ex parte verum est, sed non plenam veritatem assequitur. « Num amamus

hominem, ut Fouillée¹ scribit, quia vividus aut lentus, mollis aut acer, validus aut infirmus est? Minime vero. Hi sunt corporis habitus, quibus vera hominis natura non constat. » His addit Fouillée (quod una Paulhan et Ribot ipsumque Perez spectat, et cum illis, quæ jam a nobis objecta fuerunt, consentit): « Vera hominis indoles in conscia vita et voluntatis usu, scilicet in natura per intelligentiam et voluntatem instaurata ponitur. Non machinam quamdam inertem et minime consciam amamus, sed consciuum animum, qui cogitat, sentit et vult, qui denique amat. Hoc est indolis pretium et signum: quomodo amemus. »

Medici Azam² de validorum et laborantium indole librum prætermitto, quia non solum indolem per ordines distribuere non tentavit, sed nullam legem adumbravit. Bonis enim et malis sejunctis contentus fuit. Illa quæ descripsit Azam rhetorissunt potius quam medici, licet exquisita interdum et utilia. Cum vero de laborantium indole, quod medicorum proprium est, noster medicus disserit, experimento tum demum utitur. Quod eo magis miramur quod

1. FOUILLÉE, *loc. cit.*, p. 822.

2. MDCCCXXXVII.

experimento ad id temporis ethologia caret.

Scriptores de quibus in superiore loco mentio facta est, viam a St. Mill demonstratam ingressi, scilicet a certa quadam de animo doctrina profecti, indolem et indolis genera definierunt. Sexcenta passim et sæpe acutissima jam inventam definitionem illustraverunt, et aliqua ex parte comprobaverunt. Ut vero fertur in historia quæcumque velint reperire eos qui civitates regant, ita illas quæ in mente aguntur fabulas multimodis interpretari licet. Nonne ita abundans et permixta materia illius doctrinæ, quæ de moribus et animo est, ut cuilibet definitioni consentaneum quidquam reperiat? Ad definitionem adornandam exemplorum magna vis utiliter colligitur; utilius ab exemplis definitio sumetur. Ethologiæ experimento condendæ citius spem remiserunt. In animo et quasi ante oculos doctrinæ cujusdam erat perfectæ et absolutæ imago, quam e rerum mole elicere nimis arduum existimaverunt. Dubium est vero an adeo simplices et perfectæ nostræ de animo vel de indole doctrinæ unquam futuræ sint. Illi, qui in hujusce modi scientia plane vera consectantur, oportet nihil amplius spectent quam humilem, ut ita dicam, veritatem, quæ a rebus haud

longius absit, cujusque auxilio res flecti possint. Quid enim prodest ad informandos et bene instituendos pueros illorum indolem qui sentiunt, ab illis qui agunt, seponere, nisi hæc tam generalia per longos circuitus in usum vertas? Comperito vero virtutem quamdam cum altera virtute aut certo vitio conjungi solere, ob hujusce modi consuetudinem quid faciendum, quid non, quasi expertum habebo. Ut corpus animus, ut laborantes sani diligenter inspiciendi; scilicet multa experiendo et inquirendo quasi *clinica* quaedam psychologia instituatur oportet. Adde quod omnia, quaecumque normæ conveniunt, difficilius inspicias quam ea quæ a norma abhorrent; ergo et accuratius inspicienda sunt. Ceterum, cum in animo parum a morbo valetudo distet, eadem ratio utrique adhibenda, et minime imitandus medicus, qui ex iis doctrinis, quæ anatomia et physiologia dicuntur, medendi artem sine ullo morborum usu deducat.¹

Addamus a puerorum natura inspecta initium ethologiæ capessendum, quorum animus, et partes quibus animus constet, ita simplices

1. Hæc jamdudum in mente habebamus, quæ multo cum gaudio apud egregium amicum Rauh invenimus. (*Loc. cit.*)

sint, ut legum materiam aptiorem præbeant. Præterea pueros observare, ut apparebit, facilius et uberius nobis datur. Denique in pueris experimento uti ethologiæ licebit, simul et artis ejusdam locum tenere. A pueris petendæ leges, quibus pueros informare velis.

At enim « media » Baconis « axiomata » hujus modi methodo revocamus, nedum ethologiam scientiæ nomine dignam unquam condamus. Nobis tamen, quod jam diximus, præsentibus divitiis liceat esse contentis; immo forsitan et de ethologia dicendum: *Τὸ ὑποπίπτου ἀπίστευτος καὶ ἑξαιρέτων ἐστίν*; plumbeaque regula philosophi de indole disputantes potius quam ferrea utantur oportet. Nec tamen totam methodum hac humili et rerum serva ratione contineri contendimus. Jamjam iis quas ante recognovimus doctrinis mens ad nova exquirenda observandave excitatur. Sin vero, quomodo convenient inter se animi impetus vel discrepent, compertum habuerimus, firma futuræ cujusvis de indole doctrinæ fundamenta nobis sint. Hocce modo rerum et rationis quasi matrimonio scientia nostra, ut decet, instituatur.

Sed jam non solum quid faciendum sit, sed quid fecerimus, dicamus.

II

QUÆ IN EODEM PUERO EODEM TEMPORE NOTATA SINT¹

Lugduni olim nobis pædagogiam docentibus occasio data fuit nonnullos minorum scholarum magistros hortandi, ut puerorum, quos in schola rudimentis instituendos haberent, indolem brevius notarent ac describerent. Quomodo autem quave ratione hujus modi descriptiones componendæ essent, illis ne paucis quidem verbis significabamus, quo liberius suum quisque sensum exprimeret, puerorumque naturam sincerius observaret. Quæ notata hoc consilio diligenter contulimus, et quasi in unum redegitimus, ut quædam exhiberemus quæ in eodem puero eodem tempore animadverti solerent. Hujusce modi observationes, si major copia fuisset, legis nomine digna essent; quod unum legum genus,

1. Gallice dicas : *lois de coexistence.*

usu et experientia conquisitum, hujus temporis ethologiae concedimus. De methodo tamen nostra non ex jejuna hac et exili materia existimandum, quam collegimus; quod enim accepimus, tantum reddimus, nec doctrinam quamdam, omni modo constitutam et plane confectam, sed nonnulla undique decerpta legenti tradimus. Ceterum multa quae notavi, velut minime recondita et paene obsoleta, ne quis despiciat aut parvi faciat, medici Azam mihi sententia uti liceat: « arduum esse et operosum de illis, quae omnium oculis exposita sint, scribere; videlicet unumquemque legendo dicturum, se haec omnia jamdudum novisse nec inauditi quidquam reperire¹. » Quicumque ethologiam scientiae modo tractare volunt, communia et vulgo trita revocare oportet audeant. Est ingenii litteris et arti studentis quadam novitatis cupidine ea potius exquirere quae singularia videantur. His contra quae in hoc libello collegi inest aliquid a quo vel laudem vel certe excusationem sumam: non mea sunt, id est, non a me inventa, sed a multis tradita, unde plus auctoritatis habeant, nec, ut ita dicam, proprium ac peculiare

1. p. 6.

sonent. — Propria tamen ac peculiaria haud omnino abjecimus, quibus traditam a Lugdunensibus magistris materiam comprobaremus vel exornaremus; alia etiam addidimus, ab illis, de quibus supra diximus, inventa scriptoribus, quæ quidem interdum valde laudabilia jam ante concessimus.

Præterea nobis in animo erat, ut materia observationi subjecta augetur, undique per scholas litteras distribuere, in quibus certa quaedam magistri rogarentur. Quas cum in eo essem ut distribuere, ejusdem modi litteras egregius collega Binet implendas misit. Ne magistros veluti æmulis litteris ad satietatem lacerarem, pristinum consilium repudiavi, nec, fateor, desidero. Profecto non utilitate carent illæ de quibus loquimur litteræ, atque sine dubio præclara et eximia Binet nota subtilitate e tam multiplici materia eliciet. Sed, mea quidem sententia, hujusce modi litteræ doctrinam quamdam celant, certaque responsa suggerunt et quasi dictant. Cum præsertim humanam indolem observas, metuendum ne parum cauto mens his, quibus respondendum, occupata sit et hebescat acies oculorum. Sic certa morborum indicia adhuc latentia qui laborant, interrogante me-

dico, tum demum sentiunt. Hoc jejunioris methodi nostræ proprium erat, ut illorum, quibus observandi curam committeremus, quorum autem nulla de animio doctrina mentem præoccuperet, merum et sincerum experimentum permaneret. Cavendum igitur erat ne permiscerentur diversi pretii et quasi e duplici fonte quæsiti commentarii, neu methodorum confusio fieret.

Haud multa accepimus, e quibus manifestum esset puerorum dispares habitus dispares indolis species secuturas. Equidem, fateor, talia percontari de industria prætermittebam, ne forte magistrós in periculum levioris et præmaturi iudicii inducerem. Unum autem discipulorum genus, acrium et male quietorum, frequentius invenitur quam ut omnino neglectum sit a nostris magistris; qui quidem multa a B. Perez notata confirmaverunt. Plerique tamen magistri, ut mihi apparet, magis amice quam B. Perez de hujusce modi pueris, licet in schola molestis et importunis, loquuntur; quippe quibus aliquid insit boni. Nonne enim quoquo modo bonum est utilitatem et proprium commodum minime respicere? Prompti igitur sunt ad iram, non ad invidiam; colaphos cito dispensant, pacem rursus cito componunt; ultro quidvis com-

modant, immo dant; denique, cum motus omnes animi sua facie significant et statim gestu patefaciant, ne minime quidem, quid sentiant, celare possunt, unde fit ut non mentiantur. Nec sua ipsorum mala diutius miserantur, ita ut quaedam animi levitas virtutis partes teneat. In ludendo si forte cadunt, statim resurgunt et de integro cum ceteris ludunt. Quorum animus, velut corpus, semper est in motu; mens autem non magni et producti consilii capax; sed, quod ad scholam et puerilia studia spectat, haud spernenda, scilicet ad discendum et intelligendum prompta. Dulce enim magistro pueriles mentes, quasi cursores, ad se ipsum properantes animadvertere.

Multa significet, mea quidem sententia, puerorum os et habitus, dummodo attente noletur. Mihi videntur mei liberi suam, cujusque indolem exprimere ipso gressu, non praesenti solum tempore, sed cum tirones primum pedibus ingrediebantur. Unum adhuc videre mihi videor tarditatis impatientem, maturius et celerius progredientem, ita ut quot gressus, tot lapsus essent; alterum vero cautiorem, nec imprudenter unquam pedibus confidentem; quam autem indolis dissimilitudinem talia

indicia prænuntiabant, illam sequentes anni probaverunt. Notandus et vocis sonus, dummodo caveas ne illis indiciis majorem et citiorem fidem adhibeas. Magistra quædam durum vocis sonum durumque animum eidem puellæ inesse apud me conquerebatur; quæ quidem puella, ut aiebat, amicas velut gregarios centurio objurgabatur. Vocem vero, teste eadem, paulatim remisit, simul atque mitior animus factus est et feminæ similior.

De mentis et indolis mutuo commercio pauca quoque notata et nobis tradita sunt. An, ut Herbart¹ referam, quo magis impressa in animo perseverant, eo firmior fit voluntas, ita ut e memoria imprimis constet tenax propositum? An, ut rursus voluntate mentem mutatam consideremus, sui compos animus se libentius introspicit, quod Paulhan² docuit? Qui vero se illo more introspiciunt potius incerti mihi videntur, et fabulæ intus actæ otiosi quasi spectatores. Apud meos ipsius liberos imaginandi vim timorem secutum esse animadverti, quem nemo adhuc eos incautis et intempestivis næniis

1. PINLOCHE transtulit, p. 224.

2. p. 6.

docuerat. Necnon animadverti ex eadem imaginandi vi et consuetudine alterum illud, veluti fructum, vitium crescere, dico mendacium; quia difficilius pueris quid verum sit, quid fictum, distinguere. Nonnulli in quibus illud vitium una cum callida mente animadverteretur, nobis denuntiati fuerunt, quod quidem minime miramur. Ceterum ex infirma memoria mendacium saepe oriturum Perez putat¹. De mendacio vero mox disputabimus; nunc ex exemplis datis quaerendum est quae in ejusdem pueri sola indole eodem tempore reperiantur.

Primum quae virtutes inter se conjungantur dicamus, postea quae vitia dicemus. Equidem non ignoramus mente et verbis virtutum vitiorumque discrepantiam nimiam fingi, multosque animorum impetus inter virtutis et vitii nomen quasi incertos pendere. Quos praecipue explorabimus, nedum praetermittamus, et certas vitiorum virtutumque societates describemus. Quod ad solas virtutes pertinet, brevis materia. Puerorum virtus vitiorum inopia constat; quippe qui in malis rebus quodammodo eminent, in bonis nunquam. In bonis enim emi-

1. p. 289.

nere virorum potius quam puerorum. Attamen plus quam vitio carere jure videatur ille cui ordo et cultus munditia insit, quæ ambæ virtutes mitem et urbanam natura indolem interdum comitentur. Hæc omnia forsitan ab una inclinatione defluunt, quam elegantiae proximam haud immerito judicabimus. — Duæ autem alii generis virtutes, ut B. Perez ait, necessario conjurant; ut enim ejus verbis utar: « Nec omnino bonus dici potest, qui non sincerus, nec omnino malus, qui non plane fallax. » Immo ambæ virtutes indolis sinceræ simul et bonæ oportet ad communem fontem referantur, animum dico ingenuum et ita locupletem ut se ipsum quasi uberiores expandat. Qua ratione probari possint hæc a magistro quodam de hoc puero notata, qui non solum inter condiscipulos unus in omni re eminere velit et aliis imperare, sed idem benigno sit animo. Quod bonorum animorum genus (diversa enim genera distinguuntur a nobis) inest illis, qui suæ præstantiæ conscii primas obtinuisse solum gaudent.

Vitiis contra eadem quæ virtutibus societas

et mütua origo. Primum illorum vitiorum virtutibus, quarum ante definita societas est, contrariorum similis societas nobis observantibus occurrit. Nobis denuntiatur puerum eundem et sordidum esse et pigrum, et sæpe pigris indolem ordinis et disciplinæ impatientem propinquitate quadam contingere. Cum in pueris plerumque hæc omnia, ut opinor, vere observentur, neglectis tamen pueris, eos reperire possis, qui quoddam omnia bene componendi studium cum quadam mollitie conjungant; ejus novi foederis causas mox explanabimus. A vero autem magnopere abesse medicum Azam putamus, qui pueros omnia confuse et incompte collocare contendat. Nonnullos enim pueros commemorare possimus, qui in suo quæque loco ponant tali cum religione, ut non jam virtutis nomine illorum consuetudo digna, sed plane ridenda videatur. Cum autem non eundem locum illi quem nos cuique rei assignent, ordine carere illos putamus, dum aliam in disponendis rebus rationem sequuntur. Falsum et hoc aliud medici Azam : pueros ab omni lege abhorrere. Nam cum illis, ob ætatis inscitiam, paucæ ad agendum viæ pateant, easdem semper persequuntur, et eadem postero

die, quæ pridie, efficere volunt, ita ut jam legi et certæ rationi quodam modo pareant.

Sed, ut ad eorum vitia revertamur, quædam infirmitas voluntatis, quæ quidem diversos modos induit, cum multis aliis vitiis in societatem. Pauca medici Azam, ante illa quæ magistri nostri tradiderunt, nobis tradere liceat. Eisdem qui natura, quid velint, semper incerti sunt, turbulentos (gallice *brouillons*) vocat; — hic enim morbus a voluntate potius quam a mente, ut ait Paulhan, pendet. — Sunt et parvarum rerum graves disceptatores (gallice *tutillons*): quasi, levioribus curis libentius incumbendo, a magnis rebus et difficilibus consiliis mentem avertant. Inde omnia vel minima accuratius inspicunt; ex quo efficitur in sedulo homine sæpe imbecillam indolem apparere, in imbecillove sedulam. In imbecillam eandem indolem sæpe quoque scrupulus injicitur, ita ut omnia religioni habeat. Inde idem et sedulus et religiosus. Ut in agendo, sic in cogitando parva potissime curat. — Quibus vitiis describendis medicus Azam inscius methodum nostram adhibuit, qua non unum vitium per se expeditur, sed, quomodo multa inter se vitia affinitate quadam conjungantur, inspicimus.

In his autem, quæ de pueris notata sunt, timida indole denuntiatur plerumque hæc infirma voluntas, etsi iidem interdum et fortes et timidi inveniuntur. Puerorum quidem naturæ insita est quædam timiditas, adeo ut eis, qui illa carere videantur, pæne indignemur. E qua sæpe quædam nascuntur, quæ timidis minime convenire putes; scilicet eodem nomine quo humanitate earentes et se ipsos unice curantes homines « agrestes et incultos » voces, nonnullos vocabis quibus timidum modo est ingenium; attamen illi urbanitatis inopia potius quam indolis vitio peccant. Immo non id quidem vitium, sed absentis virtutis conscium desiderium, ita ut de timidis jure illud dicam: « initium sapientiæ nolitia peccati ». Affertur mihi cujusdam puellæ exemplum, eo ipso timida, quod eam parum compti vestitus magnopere pudebat, ita ut quodam modo munditiæ cura laboraret, et injucunda nimio placendi amore fieret. Aliorum, ob timiditatem, præcipites et inopinati motus fiunt; nullus in habitu ordo, nulla in membris concinnitas. Denique iracundia, ut viri sæpe, Achillis exemplo, vires suas declarant, ita pueri suam infirmitatem. Hæc timidorum ira, ut ita dicam, non modo per

omnes ætatis gradus, sed maxime in pueris invenitur. Nam timidus quisque contumeliam ægrius patitur et, nisi dissimulandi artem invenerit, impotentis furoris frenos remittit. Cui pœnam temperes oportet, ne gravius eum commoveas. — Nunc breviter commemoranda vitia quædam magis vitiosa quæ nostrorum inquisitorum nullus quidem, at vero Perez infirmitati addit, mire probabili ratione. Ex infirmitate fraudem et dolum nasci vulgo quidem dicitur; porro ex eadem, auctore Perez, fiunt mali et crudeles, quasi ut infirmitatem ulciscantur et solentur.¹

Insuper infirmitatem jactantiæ cuidam et quasi superbiæ sociam esse mihi referunt. Nempe infirmiores voluntate homines nimium sibi tribuere sæpe videntur, seque inflant, ut se ipsos decipiant. Idem sæpe qui vana timent, vanis tument. Sunt vero qui aliis causis tumeant. Hæc diversa superbiæ genera sæpissime in pueris reperiuntur, si illis, quæ nobis tradita sunt, credimus. Quæ quidem plerumque de puellis notata fuerunt iisdemque minoris conditionis. Ea scilicet ætate, qua pueri personæ,

1. p. 194 et 225.

quam sustinendam habent, conscii fiunt, timendum est ne magnificentius de se sentiant. Sunt quoque quorum simplicitas superbiæ sit excitationi, et qui risum moveant potius quam indignationem. Necnon aliquando miserandi sunt : commemorantur mihi gloriosarum puellarum exempla, quarum te eo magis misereat, quo humiliori sorti sint deditæ. Nihil tristius quam misellas videre puellas inani comptu ornatas, audireve ficto splendore et egena magnificentia apud amicas glorientes.

Mirabile aliquid, ut mihi fertur, ex ostentatione efficitur, ut præsto esse ad horam pueri nunquam possint. Dulce in mora esse, et quasi desiderari, nec aliis misceri gregatim intrantibus, sed in se intrantem omnium oculos convertere : « Scholam A., ingreditur, cum jam horæ dimidium est ex quo puellas elementa, ut mos est, docere magistra cœpit. Anhelat, velut longo cursu defessa; cucurrit enim, sed in porticu tantum, ut nimiae celeritatis et diligentiae fidem faceret. In mediam lectionem incidit; profecto magnopere veretur ne aliis discentibus vel minimam perturbationem afferat. Janua lente et leniter aperitur, ita ut nullum stridorem reddat, vehementer vero clauditur. Omnes, audito fra-

gore, ad januam spectare; gaudet nostra puella se in spectaculo esse. Capite operto, nondum rejecto amictu, tabulas in manu tenens, ad cathedram properat; necnon amicas gestu et nutu hortatur ut rursus studiis incumbant. Deinde me alacris amplectitur et moræ causas diutius narrat. Sed ne tum quidem spectaculi finem facit. Amictum nunc caute exuit, nunc properanter et fastidioso ore rejicit; amicas tandem in auxilium invocat, ut una globulis vestem adstringat, alteraque capillos nodo cohibeat. » Eadem, nisi serius, ante tempus venit et scholæ januam pulsat, ut aperiatur. Sed præsto esse ad horam non potest et communem repudiat condicionem.

Hæc vero a superbia ordine directius genus ducunt : continua fraude utitur ille, qui superbiæ causa omnibus fucum facere in animo habet. Sunt et inter puellas quas, illius nostri fabularum scriptoris more, *pauperes lænas* haud immerito appelles, scilicet quas in vitium nimia cultus cupido impulerit. Ecce ad mendacium venimus, amborum vitiorum communem fructum, quorum tam odiosa ubertas est, infirmam dico voluntatem tumidumque animum. In eundem conveniunt imbecillitas, superbia, menda-

cium. Ceterum non est vitium; cui non comite-
tur mendacium, quippe quod omnia vitia simu-
lationum involucris legat. Omnia ad id, id ad
omnia ducit. Attamen memini ipsam puellæ cu-
jusdam jaclantiam a magistra adhibitam fuisse,
ut mendacii consuetudo exueretur. Nimirum
verecundiæ et non injucundæ superbiæ proxima
est sæpe jaclantia. Prosunt quidem hæc vitio-
rum bella; verum timendum est ne uni, quo ad
alterum vincendum utaris, nimis frenos remit-
tas. Sed, antequam virtutum et vitiorum societa-
tem exploremus, nonnullam meram vitiorum
societatem breviter indicemus, quæ in Lugdu-
nensibus nostris invenitur. Alii una sibi
et gulæ indulgent; alii et gulæ indulgent et præ-
dantur: sit enim e gula alienarum divitiarum cu-
pido; alii inconsulti et indiligentes tempus mo-
rantur, (quamvis moræ alias esse causas videri-
mus); alii derisores et jurgiosi; alii et jurgiosi et
jurgiorum impatientes. Ille enim, qui ludibriis
alios offendere solet, se ipsum offendi male pati-
tur. Nec mirum: nam importuno et jurgioso
inest necessario mentis quædam acies, qua, quid
maxime risum moveat, nudet et cujusque sol-
lertèr ulcus tangat. Quæ quidem acies molli ad
accipiendam offensionem animo convenit, potius

quam facillimo et toleranti, qui irridentis impetum bene sustineat.

Hæc autem vitia cum virtutibus quibusdam conjunguntur, aut potius virtutum vanam imaginem præbent. Illum puerum, qui silere solet, ob sapientem animum quiescere dicas libenter, qui re vera ob incuriosum; hunc placidum voces, cujus mens simul et corpus torpet. Hæc puella blanditias exsequitur, non vera amicitia, sed quodam inscio et præmaturo voluptatis studio; illa, quæ vel minimis rebus affici videtur, nihil dolet, nisi proprium, alienumque dolorem miseratur, quia invita ex illo laborat. Aliquando autem veram misericordiam falsa illa agendo ita imitatur, ut virtutis partes bene teneat. Sic transimus ad hæc quæ supra nuntiavimus, id est, ad veras virtutes cum veris vitiis congruentes. Etenim sermonis communis egestate adducimur, ut incertos et ambiguos indolis modos certi vitii aut certæ virtutis nomine significemus.

Primum ut ad aliqua vitia revertamur, quæ nuperrime commemoravimus, eadem dubitatio quam in quibusdam sedulis hominibus notavimus, bonis aliquando inest, sed illius modi bonis qui a malo abstineant, quod nec facere

nec cupere quidem audeant. Sunt et qui, nihil omnino curantes, benigni videantur; quippe qui vehementer quemquam nec oderint nec ament, sed omnibus quamdam communem et minimi pretii benevolentiam largiantur, alterius autem causa difficilia molestave minime consectentur. Illud bonorum genus, etsi omni ætati commune, in pueris profecto mihi observatum est; quod minime despiciendum, præsertim si hujusce modi bonos cum illis malignis conferas qui, obstinato animo omnes omniaque reprehendentes, ore libero et sincero loqui dicuntur. — Hoc autem aliud genus multo secundius cui e quadam agendi necessitate benignitas nascitur. Qui cum multo negotio et multa virium impensa gaudeant, agendi causas in beneficiendo quotidie inveniunt. Sæpe etiam (quod a magistris notatum pro certo jam ante habebamus) iidem et inconsulti sunt et boni. Nec mirum: nam se ipsos minime curant et illa ultro negligunt, quibus multi impediuntur, ita ut misericordiæ liberiore animo indulgeant. Ea de causa a mendacio abhorrent, ut mihi fertur, inconsulti pueri, necnon utriusque sexus jocosos loquacesve.

A puerili etiam superbia nonnulla oriuntur,

quibus jam aliam originem tribuimus. Superbia enim in pueris mundis, diligentibus, sedulis sæpe invenitur. De puella quadam gloriosa hæc sunt a magistra scripta : « quam decore gloriosæ nostræ libri in librario capsulave componuntur ! quam munda commentariorum scriptura ! Suum cuique rei locum ista puella tribuit, ad usum maxime commodatum. » Gloriosa puella diligens est et acris, omniaque tentat ut in se oculos omnium convertat ; immo culpam committet vel tumultum in schola movebit ne in aliarum grege tranquilla maneat. Quædam magistræ profitentur se hanc eminendi cupidinem in usum vertere et iis puellis, in quibus eam notent, munus quoddam in schola tribuere, scilicet bibliothecæ vel *συναγωγῆς* tutelam. Eidem puellæ officiosa sedulitas : famulæ munere fungitur, magistramque ab alia adjuvari ægre patitur, non modo ut aliis obsequii mirationem injiciat, sed et magistræ placeat. Est superbia enim placendi cupido nata. Sunt quæ amare ament, quæ contra amari. Nam cum cuique gloriosum sit ab aliquo diligi, amicos gloriosi sibi aucupantur, quo similes eorum fiunt, qui vere amant. Immo et ipsi vere amant ; nam affectus illi qui tantum in ore et in vultu ostentantur,

paulatim in ipsam indolem irrepunt. Commemoratur mihi quidam puer, qui de suo aliquid ultro detrahit, quod aliis largiatur multa cum ostentatione : qui fit e gloria liberalis. Gloriosos etiam ita juvat tuendum aliquem suscipere, ut gloriosa puella erga minores quasdam materculæ personam ludendo induat, et susceptum officium bona fide impleat.

Cum in validis benignitas quædam appareat, illi, qui validos gloriæ amore imitantur, oportet ut et bonos imitentur. Præterea, non modo ut aliis, sed ut sibimet ipsis placeant, personam induunt. Itaque benignitate intus gloriantur; quæ quidem intima gloriæ virtuti proxima. Nec ad pueros tantum hæc omnia spectant. Inter bonos quidem eminent illi, in quibus aut uberior animus benigne gestis veluti floreat, aut benignitatis sit parens humilitas. Nec tamen bonorum nomine omnino indigni quibus ad benevolentiam jaclantia pro parte sua prosit. — Breviter addamus in eadem jaclantia aculeum esse laborantibus studentibusve. Inter æquum sui amorem et nimiam superbiam minimum est discrimen; itaque ad pueros informandos magistri hoc stimulo perite utuntur, quippe qui intelligant pueros illo potissime moveri, antequam quid

sit officium didicerint. Confitemur mihi magistra se desperare de puella quadam cujus parentes illa molestissimam superbiam fregerunt, ut ne ullum quidem vestigium hujus vitii retineret, immo in vitium contrarium decideret, et minime tractabilem materiam docenti præberet.

Ut inter eos qui superbiunt bonos reperies, ita inter eos qui irasci solent. Quæ quidem benignitatis genera multum discrepant; scilicet ira in acri animo nascitur qui ab utilitatis nimia cura, ut jam dictum est, velut abhorret. Eodem modo sub rudi specie tener et delicatus sæpe latet animus. Sunt, et inter pueros, quos asperos simul et benignos (gallice *bourrus bienfaisants*) appelles. Qui quidem, haud sine quodam pudore benigni, benefaciendi licentiam quasi supplices rogant, quantum ab illis distantes, qui ob gloriam sunt benigni! Horum humilis benignitas quasi flosculus crescit in imo pectore abditus; gratiaque et lepore deficiente, velut excusatione et venia egere videtur. Ne non interdum ille rudis simul atque bonus, de quo dicimus, homo unum eligit quem unice amet, cui uni se amantem aperire audeat. Demonstrantur mihi pueri quidam, qui infirmioribus se devovent, et eosdem tenera tutela prosequuntur.

Hoc unius saltem amicitiae desiderio laborantem puerum magistra quaedam perite instituit et, quae ad placendum necessaria essent docendo, mitiorem fecit. Hæc inter parvulos pueros acta sunt.

Denique nonnulli magistri, ut mihi fatentur, incerti sunt quid sit judicandum de quibusdam pueris, quos mendaces contumacesve experti fuerint; nempe, ut illis videtur, utrumque vitium ex libero tenacique animo interdum oritur, id est e vera virtutum fonte. Illius quidem generis vitia in pueris non plane reprehendenda et castiganda, quod a puerili condicione nascuntur, et a nobis, ut ita dicam, in ingenua pectora inseruntur. Ea indoles, quæ disciplinæ nostræ nostroque imperio repugnat, non ideo mala, sed tantum indocilis et freni impatiens dici potest. Quæ impatientia virtutum parens est.

III

QUOMODO PUERORUM INDOLES IN SCHOLA FLECTATUR

Est nostræ de puerorum indole disceptationis inspicere qua via illa in schola flecti possit. Nunc igitur non quid pro se quisque agat, sed quid ad informandam cujusque indolem mutuum valeat commercium dicamus. Familiam prætermitto, licet magistri magistræque apud nos de illa multa, interdum malignius, deferant; quos ob invidiam inique loqui paululum suspicor. Hoc unum retineo, inæqualem indolem eorum fieri, quibuscum parentes temere agant, procul ab omni ratione et consilio. His præcipue scholæ disciplina proderit, quam quidem omnibus prodesse utriusque sexus magistri valde profitentur, cum mire laudanda, etiam si fortasse nimia sit, fide. Profitentes multos audivi;

quod omittere minime licet, de nullo puero desperandum, sed qua arte quisque potissime commoveatur magistro inveniendum. Cuique enim inest latens virtutis semen, quod fovere et colere debes, ita ut altius radicibus nitatur et per animum diffundatur. Quid hoc pacto tentavissent, quid etiam obtinuissent, multi mihi declaraverunt, quasi in consiliorum societatem adscito.

Hoc jam notum et pervulgatum omitemus, in schola justitiam doceri, doceri et consortium, (nempe discipulis vel in malum conjurantibus aliquid boni est); in schola demitti superbos, mutuamque alieni juris observantiam animis injici. Sunt tamen ante oculos et in manu multa attente notata. Hæc multa, quia nihil novi afferunt, nobis liceat, etsi non inaudita requirentibus, nimis audita relinquere. Cum vero vulgo dicatur severa scholæ disciplina familiæ molli-
tatem compensari, multis contra pueris minime commendabili loco natis domique amore egen-
tibus, sit schola velut justitia et lenitate guber-
nata civitas. Hæc quæ a parentibus omni modo excruciat, miseramque sortem patienter fert et sine querela, omnem in schola justitiæ spem et amorem posuit, ut, quo domi miserior esset,

eo magis, in schola injuriæ impatiens, sui observantiam appeteret.

Rogavi ut notaretur quid ad puerorum indolem valere viderentur consueta in nostris scholis puerorum certamina et velut principatus ambitio, (quam quidem quæstionem collegiorum magistri nuperrime agitaverunt). Equidem fateor multum minorum scholarum magistros sensu inter se differre. Nonnulli suum cuique ordinem et locum tribuere arduum esse ferunt, narrantque se sortis auxilio usos esse, unde illis, qui inferiorem locum sortiti essent, discipulis magnæ et justæ hercule fierent iræ. Audivi alios ob victoriam ridicule superbire, alios ob invidiam dulces amicitias repudiare; nonnullos tamen audivi amice æmulari. Hi profecto sunt nostræ genti insiti mores, ut gloriam et laudem potius quam rectum officium aucupemur. Equidem, recens Publicarum Scholarum Ministri rescriptum fidelissime secutus, discipulos præmoneo, ut notam animadvertant, non locum; locique pretium minuo, multis eundem locum *ex æquo*tribuendo. Nihilominus tamen, ut jampridem mos est, tantum loco adulescens bono gaudet, malo mœret.

Quid plura de scholæ legibus et moribus?

Nunc, quomodo alter cum altero puer se agat, paucis observandum. Sæpe amicitias conjungunt binæ puellæ, quibus utraque valde mutatur. Altera absente altera ludum fastidit. Ita fit quarundam virtutum velut exercitatio. Hoc vero præcipue observatione dignum, in hujus modi amicitis alteram amicæ patrocinium suscipere, alteram autem se tuendam præbere. Sunt quæ natura tutelam requirant, et ad fortiorem quasi confugiant. Duarum vero altera dominatur et amicæ imperat, scilicet quæ se tuendam præbuit. Infirmiori enim fortior cedit, majoris natu sororis more, cui jam maternus inest animus. Interdum suscepto patrocinio melior fit illa, quæ amicæ exemplo esse debeat; quod argumentum apud ingenuam indolem maxime valere magistræ consentiunt.

Communi quoque magistrorum sententia, vicinorum contagione immutantur discipuli. Ut loquaces et turbulenti velut pestem undique inferunt, ita quorumdam puerorum gratia et diligentia circum paulatim diffunditur. Magister quidam, cum permultos discipulos et omnino dispares docendos haberet, indoctissimo cuique doctiorem adjungere instituerat, qui de parvis difficultatibus eum moneret et dubitanti succur-

reret. Sic noster magister omnes una, separatim autem discipulorum alter alterum erudiebat. Eadem duplici lege ad informandos mores utiliceat, quanta vero cum cura! Timendum enim ne in hoc commercio mali bonorum magistri fiant; nempe malos facilius pueri imitantur quam bonos. Mali profecto facilius magistrum eludendo, et insolentius respondendo, movent admirationem. Audivi scholas ante florentes a novo discipulo in medio anno corruptas fuisse. Itaque cavendum ne bonos pueros malorum contagioni obnoxios libenter præbeas. Attamen, pueris per scholæ subsellia astute dispositis, ne pessimus quisque noceat ingeniosi magistri prohibent, et periculum propulsant. Non enim discipulos sponte consociari permittendum, ne malos dubii sequantur, et mox mali fiant.

Hæc in animo habebat ille vir, qui scholæ normali Matisconensi præfectus, discipulos non in schola, velut in carcere, contineri, verum extra muros habitare statuit. Inter multas illa vitæ ratione partas utilitates, hanc maximi pretii æstimabat, ut posset illis exemplis adolescentem, consilio quodam, circumvenire, quæ ad ejusque indolem informandam apte convenirent. Intra scholam omnia, quibus adolescens movetur,

permixta et confusa sunt; et quæ velit eligere
ejusque permittitur arbitrio, imprudenti licet.
Sin autem discipulos extra scholam in privato-
rum domos collocaveris, hunc de cujus moribus
dubitas probissimi et severissimi viri tutelæ
commendabis, adjunctis insuper duobus valde
incorruptis sociis, quos imitandos habeat. Cum
plures sint causæ e quibus melior fiat adolescens,
parentum vel absentium amor et exemplum,
magistri auctoritas, ætatis maturitas, hac tamen
de qua diximus vitæ ratione egregius noster
magister adulescentes quosdam sanatos fuisse
contendit.

Noli autem propriam magistri magistræve
auctoritatem despiciere; non hanc dico, cui om-
nes pariter obnoxii, — communia enim omni-
bus magistri præcepta et exemplum, — sed
aliam quamdam qua singulos tuetur. Multi
enim discipuli ægre ferunt in schola se ceteris
tantum annumerari; magistri oculos et benevo-
lentiam in se convertere gestiunt et omnium
magistrum quasi suum facere cupiunt. Non
ignorat quicumque pueros docet quosdam cum
magistro quotidie, post discendi tempus, seorsum
colloqui, non modo ut conspicui fiant, sed ut
docentis gratiam velut præsentio rem sentiant et

vocem ad se pertinentem audiant. Hæc cupido in puellis multo validior est, utpote quæ affectus potius quam rationem sequantur; itaque, ut magistræ ejusdam dictis utar, nonnullæ sunt puellæ, quæ de illius vero officio et æquo in omnes studio male judicent: quippe quæ illam plerumque non discipulæ ejusque meritis, sed suæ ipsius inclinationi consulere existiment. Unde fit ut castigatæ vituperatæve se omnino in invidia esse persuasum sibi habeant, et non labore diligentivæ sed obsequio magistræ amicitiam et benevolentiam aucupentur. Porro et ipsæ magistram amant, interdum amantium sollicitudine et suspicione comice excruciatæ. Magistri igitur utriusque sexus oportet ut parce et verecunde cum discipulis agant, nec tamen eos tam infirmos tamque imbecillos illa, qua egeant, privata benevolentia, destitutos et quasi orbatos relinquant. Ceterum aliquos esse pueros quos ea ratione tantum informare possis, hæc satis monstrabunt:

In schola Portus Sanctæ Fidei¹, apud flumen Duranium, cui præest presbyter quidem reformatæ religionis, Thenaud nomine, inter omnes

1. Port-Sainte-Foy (Dordogne).

perditos et a parentibus relictos pueros, unus erat tristissimus et obedientiae impatientissimus, de quo magistri paene desperabant. Die quodam, cum presbyter Thenaud, litteras ad pueros scriptas distribuendo, nomen aliquod forte enuntiavisset nostri pueri nomini consonum, ita ut se designari ille paulisper credidisset, illius ore et vultu tanta laetitia refulsit, ut presbytero, quomodo forsitan informari posset ferus ille discipulus, repente in mentem veniret. Itaque amicum quemdam Nantiaci, ex qua urbe puer ille oriundus erat, per epistolam exoravit, ut misello litteras mitteret. Quibus acceptis, ille simul miratur et gaudet aliquem sibi, licet ignotum, scripsisse et benevolentiam declaravisse non communem, magistri modo, sed privatam, amici more. Cum autem presbyter animadverteret ob has singulas litteras ejus animum tristitia et invidia vindicari et exonerari coepisse, amicum rogavit ut alias epistolas scriberet. Sic ab amico ignoto noster puer liberatus et quasi renovatus fuit.

Nec illos fallit, qui indigentibus opem et salutem ferunt, multum virum apud virum, feminam apud feminam gratia et auctoritate pollere. Hoc consilio miserorum fiduciam sibi parare tentant,

quo melius illos adjuvent. Quod significat hæc
vetus opinio : sanari tantum attactu morbos.
Quem attactum amicæ manus nonnulli pueri
desiderant, quorum corpus non laborat, sed
animus amicitia caret, et pæne vacuus est.

IV

QUOMODO PUERORUM INDOLES ULTRO MUTETUR¹

Ecce nova investiganda, quæ quidem perscrutari vehementer interest, a quibus vero hæc, quam *a priori* diximus, ethologia longissime abest. Sin autem, quæ in multis pueris expertus fueris, in commentarios ordine et via referas, quasdam leges inveniendi spem haud inconsulto foveas. Etenim ii ipsi, qui indolem mutari posse negant, hanc tamen latentem et immutabilem naturam diversis et sæpe inopinatis modis in lucem proferri confitentur. Quæ igitur soleant esse illorum modorum vices eo accuratius indagandum quo utilior hæc animorum historia futura sit. Egregie Paulhan ait naturam cuique

¹. Gallice dicas : *lois de succession*, addasque duas esse et in ethologia partes, *s'atique et dynamique* vocandas.

suam ad tempus tantum manere, eamque indolem a plerisque nimis absolute vocari, quæ maturæ ætatis indoles rectius vocetur. Immerito enim amatorius (gallice *érotique*) ille dicetur, qui in vicesimo anno amanti indulserit, aut plane mendax, qui vix a cunabulis mendacio quodam usus fuerit. Quo vero pacto a mansuris et perpetuis vitiis imperpetua et quasi transitoria discernes?

Nulla enim in indice recognita et depicta sunt quæ vitia in pueris vere excusanda, et quasi normæ cuidam consentanea videntur. Hæc experimenta, utpote futilia, ab illis qui animum explorandum habebant, neglecta fuerunt. Ut exemplo utar, vulgo fertur esse et in pueritia quosdam annos, qui « ingratae ætatis » nomen jure usurpent. Magistri magistræque de mediæ classis discipulis¹ apud nos habent plerumque querimonias. Quarum multæ sunt in ipsa schola causæ. Scilicet mediæ classis discipulus, ut non jam nova exercitatione novoque vitæ genere delectatur, nec magistri timore occupatur, quo quidem nimis familiariter utitur, ita futurum judicium, quod de cujusque

1. Gallice *cours moyen*.

pueri doctrina, post confecta studia, ferri solet, et propriam utilitatem nondum cogitat. Hisne causis satis intelliguntur consuetæ, de quibus diximus, querimoniæ? Operæ prætium est rem perpendere. Inter octavum et decimum annum hanc ætatem quam ingratham vocavimus unus e magistris collocat. Ob id ipsum forsan dissentiunt, quod plures sint, quas ingratas jure dicas, pueritiæ tempestates. Equidem cum multis pueris, dum vacant scholæ, vitam degere mihi datur, quorum unus inter omnes uno quoque anno injucundus, nec vero sequenti anno idem injucunditate eminet. De hac puerorum inconstantia est quædam in omni familia quasi tradita doctrina, cujus avia quæque præcipua magistra, quippe quæ experimenta iterare potuerit. Nonne, ex quo pueri nascuntur, hujus modi experimenta plus quam semel iterari debuissent, e quibus scientia quædam certa constitueretur? — Qua ratione pueri animus et mens ipsa paulatim crescat et adolescat nescimus. Eximius ille scriptor, qui Loti nomine vulgo appellatur, nobis narrat animum suum in pueritia non pedetentim, sed subsultim crevisse. Ita nonnulli pueri certo quodam tempore multum proficiunt, postea autem diu torpent. An

sint tales vices omnibus communes nescio ; sed omnium profecto indoles lente subitove immutatur.

Multæ enim consuetudines indurescunt, multaque vitia ingravescunt. Hæc puerilis jactantia, de qua remissius loquebar, interdum — si nonnullis magistris credam, quibus per plures annos discipulos suos observare datum fuerit — vera superbia fit et intoleranda sui ostentatio. Similis mutatio de multis aliis vitiis virtutibusve jure notari possit; sæpe enim magna ex nihilo fiunt. Talia Mérimée ille scriptor narrabat ; se matrem olim forte audivisse quæ absentem eum derideret, ideoque Pyrrhonis præceptis postea in omni re assensum fuisse; tantum ne puerilia quidem despicienda!

Sæpe indoles immutatur, nova cupidine in locum pristinae succedente. Ut exemplis utar, idemne, qui valde amat adulescens, necessitate quadam vir factus honores et imperium strenue captabit? Notatum est a Paulhan multos libidinosos adulescentes in senectute religionibus obligari. Notatum et puellas multas nimia erga Deum pietate, post connubium, ita materno munere fuisse occupatas ut pristinam religionem remitterent. Illarum igitur pietas, non indoli

penitus insita, ad tempus tantum vigebat, nec aliud erat nisi cujusdam interioris diurnæque inclinationis forma et signum. Maxime igitur prosit scire qua lege cujusque indoles immutetur, et prænoscere ex præsentis tempore quid in animo futurum sit. Scientia enim illa, quæ de indole tractat, omni modo constituatur, si non solum quæ in eodem tempore, sed et quæ vicissim in indole appareant noscere liceat¹. Attamen in hujusce modi studio, ut mihi videtur, non certæ quædam et immutabiles leges, sed imperfectæ, et quæ e longa recensione conficiantur, exquirendæ, quod consilium jam permagnum est. Hæ autem, mea quidem sententia, in humili loco et demissa condicione plerumque sunt exquirendæ, ubi rerum magnitudine affectus natura nec adulteratur nec occultatur. Quod studium insuper, etsi ad omnem humanam ætatem pertinet, de pueris tamen imprimis est suscipiendum.

Post has leges tali modo partas, videndum est quomodo aliquæ res magni momenti ad indolem

1. Hæc methodus a Novi Mundi philosophis adhibetur menti et sensibus puerorum explorandis. (*Official Catalogue of exhibits, World's Columbian Exposition, Department M, Anthropological Building, p. 63*).

informandam valeant, singulos potissimum inspicendo pueros et generatim dinumerando¹. Memini a quodam magistro narratum esse quinque pueros in una schola nimis sese amare, quorum tres unici filii erant, duo autem postremo geniti. Multo magis ad indolis cognitionem valeant hujusce modi exempla, in unum redacta, quam pervulgatae illae opiniones, quae semper in incertum cadant.

Post illas indolis species quae permanent, post has autem quae vicissim mutantur, tertium genus observandum est earum quae evanescent, aut potius evanescere videntur. Nihil enim omnino perit, et illud « in nihilum nihil », ut de rebus, ita de indole jure dicitur. Attamen eorum, de quibus nunc agitur, in indole modorum consequentia et, ut ita dicam, vestigia nullo modo apparent, quippe qui puerorum naturae et conditioni aut omnino aetati proprii saepe sint ac peculiare. Namque non idem homo, qui puer, ventri indulget; iracundia vero, quam in quorundam puerorum indole imbecillorum molliumve supra notavimus, aliquando concidit et in tranquillitatem vertitur; delatio etiam, in pueris plerumque ingenua et vero liberoque

1. Quam methodum gallice *Statistique* vocant.

animo orla, postea mutua fide aut quibusdam turpioribus pactis depellitur, quæ pueri sæpe, hominum more, inter se conjungunt; joci intemperantia denique temperatur, qua quidem pueri, cum puerilia officia, id est majorum natu observantiam silentiumve, quod in schola decet, ægre patiantur, velut solatio utuntur.

Porro, ut in mente instituenda, sic in indole informanda, timendum ne pueros ad sapientiam insigniores et quasi portentis similes efficiamus. Diffisum est enim vulgus huic præmaturæ sapientiæ, velut « aquæ stagnanti ». Diffisus et Spencer philosophus, qui talia scribat: « Indolis simul ac mentis summæ facultates plura continent, ideoque pari tarditate crescunt, ita ut mentis indolisve præmatura coactaque cultura futuro incremento velut impedimentum inferat. Unde sæpe fit ut nonnulli pueri, incunte ætate absoluti et perfecti, per singulos ætatis gradus, mutata fortuna, deteriores videantur, et plerisque aliis mente et indole inferiores tandem fiant, alii contra, in pueritia minimam sui expectationem facientes, postea feliciter mutantur. Præclara enim indoles, velut mens, longo temporis spatio producitur¹. »

1. *Education*, III.

Inter omnia puerilia vitia, unum est tam turpe tamque tetrum cui excusationem afferre nos pudeat, scilicet mendacium. Nobis tamen fateri liceat quid de illo notaverimus. Primum mendacium nihil aliud est nisi oculorum et memoriae imperitia et error. Deinde puer omnia miscere et turbare gaudet, ita ut qui insecius ante, idem jam nunc joco ultro mentiatur. Quam mentiendi artem puer quivis natura callet, adeo ut, poetarum more, se ipsum illis quas narret fabulis decipiat, et verum a falso minime dijudicet. Haud igitur facile inexperto animo cum fide et veritate loqui. « Cur enim puer, ut ait egregia illa femina, Necker de Saussure nomine, verba rebus accommodare studeat? Quid ad illum historiae fides et praeteritum tempus, cujus vix memoriam teneat? Nihil aliud profecto nisi blanditias curat et votorum felicem exitum¹. » Sic pueri verbis non res alienas praeteritasve significant, sed velut instrumento utuntur ut quae velint assequantur. Ut exemplo domestico utar, quondam uni e meis liberis, quatuor annos nato, alicujus culpa haud admissae confessionem expressi. Habebam confitentem insontem, quod

1. *Éducation progressive*, III, 4.

ille mihi acrius quæstionem exercenti sperabat confitendo fore ut placeret.

Meos ipsius liberos animadverti usque ad quintum annum ignorasse quid mendacium appellaretur, et hoc nomine usos esse quotiescumque vel sponte sua, vel inviti errarent. Qui cum inter se ludendo naturam et speciem rei cujusdam latentis vicissim odorantur, illum qui errat mendacem appellant. Alii etiam patresfamilias se in suis cujusque liberis similia notavisse mihi retulerunt. Quid in vero mendacio fiat et voluntate et conscio consilio minime intelligunt; et errorem, non culpam sentiunt, adeo culparum velut inscii sunt, adeo res in animo confusas habent. Itaque ego, cum liberum ob mendacium punio, nequeo illi manifestum facere a me non culpam ipsam antecedentem, sed culpæ dissimulationem reprehendi.

Hac via venimus ad aliam causam mendacii. Cum sæpenumero non eundem sensum nobis et pueris verba exprimant, interdum eos, dum inepte loquuntur, mentiri credimus. Memini me quondam filiolam meam castigasse, quod falso aiebat se ab ancilla quadam verberatam fuisse; postea autem intellexisse illam hoc verbo « se verberari » nihil aliud nisi se objurgari, offendi

more suo significare : quippe quæ doloris omnino impatiens omnes molestias pariter invisas eodem verbo notaret. Eadem ratione alius e meis liberis, tres annos natus, quem culpæ cujusdam vere admissæ convincere tentabam, responsum reddebat a me delationem sæpe reprehendi¹.

Quibus exemplis non adduci debemus ut pueris justo mitiores simus, sed contra ut attente inspiciamus quid in mendaciis malitiæ, quid incertæ memoriæ, nimio imaginandi amoris, dubitanti sermoni sit tribuendum. Quæ malitia cum sæpe mature appareat, remedio vehementi puerum sanabis et docebis quantum valeat verus et liberus animus. Filia unius e meis amicis, incluti scriptoris, sæpe suæ matri memorat se ob primum mendacium prima ætate castigatam, jam quid verum, quid falsum varet, puellulam licet, sensisse, solutaque pœna, officii pretium intellexisse.

In hoc præsertim capite libelli nostri nonnullas vias tantum monstravimus, ordinemque et quasi formam novæ scientiæ adumbravimus. Parum enim in hac ultima inspectione prode-

1. Vide in *Correspondance Générale*, primo anno, p. 57 et seq. quedam a meo discipulo PULLIER de puerili mendacio notata.


rant illa a magistris Lugduni, in urbe celeberrima, notata, in qua pueri, confecto anno, magistri oculos effugiunt. Attamen ex illis, quæ contuli, exemplis et quæstionibus apparet desiderari proprios et peculiare cujusque animi annales, qui non modo ad omnem philosophiam et indolis scientiam instituendam, sed et ad indolem ipsam cujusque informandam multum valeant. Sæpe multi monuerunt ut de familia, immo de puero quoque (non tamen a puero) libelli scriberentur : quos quidem maxime commendabo. Magister quidam, in illa provincia quæ nomen a flumine Gerunda ducit, commentariis per intervalla, ubi res poscebat, illa mandabat quæ de puero quoque notaverat, unde cujusque propriam indolem plenius fideliusque nosceret, ideoque aptius tractaret¹. Multis ex hujusce modi commentariis melius ethologia ædificetur quam per argumenta et conclusiones callidissimi philosophi². Patres etiam nimis memoriæ confidunt ; perpetuo enim de puero increcente et quotidie mutato nova et alia ita sentiunt, ut

1. Vide *Revue Pédagogique*, août 1894, p. 182.

2. Utilissimam puerili psychologiæ materiam illo more præbuerunt TAINE, EGGER, et ipse PEREZ, singulos pueros observando.

memoria parum auctoritatis habeat. Pueros vel nostros summatim tantum novimus; quo die autem primum illi metu trepidaverint, mendacium dixerint, recte fecerint plane ignoramus. — Sunt commentariola in quibus pondus infantis quotidie notetur, desunt autem in quibus indolis incrementum in dies attente inscribatur. Quæ tamen ad animi valetudinem valde pertineant et, in unum redacta, ratione et scientia multa aut vera probent aut falsa evertant.

Omnes, quas supra collegimus, annotatiunculæ nullum alium epilogum desiderant. Methodum quamdam proposuimus vix tanto nomine dignam, et scientiæ initio tantummodo aptam, sed quæ illis opponi possit, qui scientiam omnimodo constitutam et quasi paratam nasci velint. Illa nihil aliud est nisi experimentorum lenta coacervatio; qua usurpata, exempla tantum attulimus, accepta exempla dico, non inventa argumenta. Omnem scilicet ingenii jactandi cupiditatem et expetendæ novitatis abjecimus. Cujus quidem simplicitatis et exilitatis nos aliquantulum puderet, nisi multos a medicis scriptos libellos recognovissemus, qui tantum notandæ uni rei addicerentur. Inde cogitavimus tali ratione scientiam quamvis naturalem instituentiam. — Sed proderit tantum hic noster libellus, si ab aliis doctioribus peritioribusque inceptum nostrum revocatum fuerit.



INDEX RERUM TRACTATARUM

- I. — De methodo quadam in ethologia 7
II. — Quæ in eodem puero eodem tempore notata
sint 25
III. — Quomodo puerorum indoles in schola flectatur . . 46
IV. — Quomodo puerorum indoles ultro mutetur. . . . 55


Vidi ac perlegi

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona
a. d. X Kal. apr. ann. MDCCXCIV

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.



Lutetiæ Parisiorum. — Imp. L. Maretheux, 1, via Cassette.

